

28 In Forojuliensibus autem, & in Carnis, ab hostibus, 1509
 qui Goritia reliquisque Maximiliani ex finibus earum re-
 gionum coacti reipublicæ ditionem invaserant, nihil est
 cessatum: pluraque oppida & castella, cum incursionibus
 & vicorum incendiis, tum castris & tormentis positis sunt
 ab iis tentata, nonnulla capta & diruta: molestique sæpe
 nuntii ad urbem in Patavinum bellum suspensam & oc-
 cupatam, præfectorum & legatorum literis allati, graves
 tumultus & querelas excitaverunt. Quibus in rebus præ-
 clara Hieronymi Saorniani virtus fuit, qui suorum clien-
 tium & agrestium ac montanorum hominum manu, omnes
 fere hostium impressiones atque impetus audacissime susti-
 nuit. itaque postea pridie calendarum octobrium, quo die
 antiqua consuetudine cives sexaginta majoribus comitiis
 creantur, qui annum in Senatu sint; eum is honorem est
 adeptus, atque ita quidem adeptus, ut omnes cives prin-
 cipesque civitatis suffragiorum numero vicerit: quæ res an-
 tea nunquam acciderat, ut cujus majores domicilium e-
 xtra urbem semper habuissent, ipse in urbem suis modo
 temporibus ac per occasiones ventitavit, in Senatum lege-
 retur. Ut autem pluribus etiam suffragiis, quam ullus
 alius, eam rem consequeretur, id vero magnopere mirum
 omnibus atque inauditum fuit: sed eam ipsam comitiorum
 & civitatis in illum benivolentiam paulo post ea res etiam
 auxit, quod is Castellum Novum, egregium in Carnis
 municipium, peropportune ab hostibus custoditum, ma-
 gno animo aggressus, tormentis celeriter prolatis muroque
 verberato, ad deditionem nulla neque rerum neque salutis
 conditione interposita compulit. Erat Fori Julii æger Fran-
 ciscus Capellus legatus, neque exercere se poterat: quod
 ubi Patres cognoverunt, Aloisium Delphinum ei legatum
 eveſtigio submiserunt. Aucta vero paulo post suspicione,
 Patavio magnopere communito Maximilianum suas copias
 ad Taurisum obsidendum velle convertere, Patres Aloisium
 Mocenicum magna cum potestate legatum eo mise-
 runt, oppidumque rebus omnibus munire decreverunt.
 quod cum esset difficilius, exhausta & pecunia & militi-

*Hieronymi
 Saorniani
 mira virtus,
 & in Remp.
 fides.*